EPISTOLA,

DE

SUPERSTITIONE;

IN USUM

CHRISTIANISMI-PEREGRINI,

PRÆSERTIM,

PONTIFICIO-PAPICOLARUM.

Ne quid Falsi dicere audeat, ne quid Veri non audeat. M. T. C.

LONDINI:

Apud W. MEARS, ad insigne Agni, paululùm extra *Temple-Bar*. MDCCXXIX.

BRITISH MUSEUM

EPISTOLA, &c.

LECTORES INGENUI!

REPERIET, quicunque Mundum intuebitur; Religionem, à Pluribus ſic dictam, tantùm externa quædam eſſe Exercitia Liturgiaſve, quæ Deo iraſcenti, verecundiùs, Contumaciis provocato Piacula vix inania putantur.

Hinc utique ſtruebantur Fana, mactabantur Victimæ, fumabant Altaria. Inſequebantur viciſſim Jejunia & Epula, Supplicationes & Grates,

Grates, Hilaria & Luctus, Cantica & Suſpiria.

Nondum verò uſpiam ſingularis abinde reſtinguitur Mœchia, nondum rependuntur Opes perperàm acquiſitæ, nondum characteriſticæ Rationi ſubjiciuntur Appetitus aut Pathemata.

Diſcrepantes quomodocunque, de Fidei dogmatis; Numiniſve, ut vulgò vocatur, Cultu ejuſdemque Modulis; in Affectibus autem obtemperando, aſtipulantur Omnes.

Ipſiſſimæ Cupiditates ubique aſſiduèque valent, ac vigent. Judæus, Mahometanus, Chriſtianus, Paganus, Tartarius, Indus; omne genus Homines, Cætera quantumlibèt Diſcordes, ſuavium reſpectu Paſſionum unanimiter concinunt.

Siqua Diſſonantia, ſic ſe habet. Quò magis Superſtitioſi, eò plerúmque magìs Improbi evadunt; &, quatenùs theoreticè

ticè Creduliores, eatenùs practicè Remiſſiores.

Lugubris hæc, Menti ſanæ, Cogitatio! Triſtiſſima eſt Veritas; & prorsùs Operæpretium erit, ante Omnia, ut ſigillatim diſcutiatur.

Ulcus adeò, ſi placet, funditùs exploretur! Ad radicem Ligni impingatur Securis! ut genuina eruatur Occaſio; cur Gens-humana, durante vitâ, Peccantes & Reſipiſcentes, Pœnitentes iterúmque Delinquentes, indefeſſim progrediantur?

In Causâ hæc ſunt. Docemur, heu! ſceleratiſſimè Edocemur; Religionem ac Ethicen binas, nec non quaquaversùm diſcriminatas, eſſe Res; Defectum alterius, alterius Redundantiâ, ſuppleri; &, quantum in Bonis-Moribus deſiderari videatur, tantundem Religione adamuſſim refici & reſarciri.

Hujuſmodi autem Religio, ſicut indigna Deo, ita Populis pernicioſa, ipſum malignô Curſu antevertit Atheiſmum.

Atheiſmus enim, quanquàm primarium equidem & tutiſſimum oppreſſæ obumbratæque Virtutis demoliatur Aſylum, ad nullimodam attamen quibuſcunque Sophiſmatibus extimulat Pravitatem.

Superſtitio è contra, Qualem hodie ſibi ferè volunt Sacra in ſenſu plebeiô, Vitiorum omnium funeſtiſſimum eſt Incitamentum; dum alienum Aliquid ſub ſpecie Religionis erigat, quod mitigatoriè vel commutativè exulantis Culpam redimat Moralitatis.

Quòuſque hæc ita ſint, Iniquitas ſtabilitur Lege, immò ſupremâ Lege; itidem Jure, etiam ſummô Jure; ipſius ſcilicèt Dei!

Mundum facinoroſum Homineſque pravicordes multoties querimur, inexcuſſæ neſcii Corruptelæ. Fruſtra fingitur, quòd Naſcimur

cimur mali ; cujus temeraria Aſſertio non minùs eſt mendax, quàm blaſphema.

Veruntamen, ad Rem ſimulatorum Pſycho-ſotêrum, apud Præſtigiatores ediſcimus, nec Octogenarii dediſcimus ; imbui Nos miſellos Nequitiâ naturali, eâque invincibili.

Fieri non facilè poterat, eaſdem Animas ſimul & ſemel religioſas eſſe & nequam ; ſiquidem Religio, datâ Veniâ, propriæ ſuæ inniteretur Baſi ; & in Confeſsô ultra ſteterit, caſtam Religionem aſſuetam coryphæè eſſe Virtutem, ſecundùm beneplacita Dei ; Qui Rebus univerſis & ſingulis æternè præeſt, ineſt, poſteſt ; Qui Operibus ſuis infinitè præſidet, & Qui noviſſimè demonſtrabit ; oportuiſſe Homines probos fuiſſe & pios, ſi modò ſolidam ſobriè cupiviſſent Felicitatem.

Hoc ſimplex Poſtulatum, ita videlicèt paratam eſſe Divinam-Compaginem, admirandi

fatô

fatô Opificis! ut Virtus neceſſariò ſuum ſibi fieret Præmium; ut Actus, rerûm Rationi conſortiores, auſpicatiores perſæpiùs emergerent; ut Ipſe demùm Deus, interminatè Sapientiſſimus & Optimus, reduplicatâ Menſurâ bearet Iſtos, qui in partibus Virtutis damnosè at fortiter degunt: Hoc unicum, inquam, Humana-Præcordia per Aſpera per Dura ſuſtentabit; Officiis, Muneribuſque ſuis, firma & conſtantia retinebit; impenetrabilia denique ac adamantina reddet, versùs faſcinationes Voluptatis, Lucri, Ambitionis.

At hæcce porrò Religio-Logica, epidemico Captui literato ſive analphabeto accommodata, immeritum Neglectum iniquumque Contemptum diu paſſa eſt. Evanuit tandem, Succeſſore inidoneô & impare; quippe qui perversâ Indole humanum Intellectum plùs confudit, Moreſque hominum ampliùs contaminavit; quàm fecerunt cuncti Poetæ

im-

impudici, vel ἄθεοι Philoſophaſtri, qui Terrarum-Orbem unquam perturbavere.

Nam, prætermiſſis aut leviter tactis Regerundâ, Moralique-Canone à Deo ſempiternè injunctô, quibus in Unis emicat Religionis pura-puta Vis; Graviloquè & Venerandè prædicatur, Negotium-Sacrum è quibuſdam Axiomatis conflari, quorum ne ulla omnino figuranda eſt Idea, quibus Perceptio naturalis & lucida diametricè adverſatur, quæ nec ſapientiores nec meliores Catechumenos efficiunt; quæque, quod pejus eſt, ad diſſolutas Habitudines ductare videntur.

Hæc Fides, hæc veſana Fides; illinc Impoſita, hinc ſine Examine deglutita; ſacroſanctam Religionis epigraphen ſolenniter induit, & oſtentat.

Quandoquidem, ſincera Religio eſſentialiter efflagitat Notitiam, & Obſequium. Deum eſſe, non Deos, noſcimus & agnoſcimus.

Neque clam eſt Prolubium ejus, nempe ut omne Bonum pro Virili agamus; Quô in fungendo, ab Olympiis-Perfectionibus patet, Nobiſmetipſis unà itemque benefactum iri.

Quid ultra in Votis eſt? Poſt totidem Indagines, honeſtæque in mediô Libertatis ſeculô, num ſumus adhuc in Cunabulis? Nihilne puerilem Proterviam pacabit Horulis otioſis, præter ſacra Figmenta, ſanctas Fabellas, afflatas Traditiunculas? Annon aliorsùm, Ineptiarum Offenſicularumque ergo, requieſcent Animæ?

Narratur ſanè; Rotundam-Fidem technicè Orthodoxiam, inſtar Charitatis, multitudinem operire Peccatorum. Sed nec Velimus decipi, nec Decipiamur! Aſſenſus merus Propoſitionibus, prout Teſtimonio confirmatis, nullam meretur Laudem; nec Vituperium quit eſſe Diſſenſus. Fides non eſt Actio ſpontanea, ad Arbitrium non attinet. Unuſquiſque cogitur

vel Credere, vel Diffidere, vel Dubitare, velit nolit, juxta Indicia. Quamobrem, Qui fortuitùs aliquando in Rectum hallucinantur, non fiunt Meliores; Qui in Contrarium, non Sequiores. Fides igitur, extra Imperium ſita, haud obligatur.

Divina, nullus hæſito, Fides gratuitum aptiſſimè Dei cenſetur Donum; quoniam ſupra Ditionem noſtram. Siqui ideò, qualitercunque Dignitatibus à matre-tellure ſursùm provecti aut diſtincti, Jubeant ut Credamus; perabſurdæ Incongruitatis, ob Conformandi impotentiam, rei ſunt. At at, ſi Juſſis inſuper ſuis Mercedes & Mulctas ultrò citròque annectant, hôc ipsô Immodici arguuntur & Nefarii; quia Factum ineligibile nec decenter remunerandum eſt, nec pudicè *Salutiferis-Severitatibus* luendum.

Ex his liquet importunum Cacoëthes, violenter inculcandi hanc vel illam Theſin, bonam

ſive

ſive malam, Sapientiæ congruentem ſeu abſonam. Sed, cùm ſanctificatâ Auctoritate muniuntur Elementa, quæ non modò non promovent Virtutem, ſed illius Abſentiam excuſare & extenuare admittuntur; ad Culmen extemplò Impietatis attingitur, hujuſce Farinæ hominum Iniquitas adimpletur, Miſeriæ ſublunares Colophonem accipiunt, & Conclamatum eſt de Genere-humano!

Virtutis amabilia Jura perfidiosè peſſundando, altiſſima mundanæ Incolumitatis fundamina effoderunt, & immaniter ſubruerunt. Quibuſque Verſutiis hæc Barbaria peragebatur, proximè videndum eſt.

Largitiones dextrè donatæ, Garrituum inexplicitorum Symbola, Verbis-Sacerdotum ex imô animô Aſſenſus & Conſenſus, Lavacra enthuſiaſtica, Ferialia dedicata, Suppœnitentiæ in articulô Mortis efficaces, Amneſtiæ ritè impetratæ, Abſolutiones authenticæ, Tribunalia

pſeudo-

pſeudo-pneumatica, &c. conſummatiorem Improbitatem inchoaverunt & perpetuârunt, ac unæquæque Paſſiones innatæ, ipſaque Incredulitas, in Cœtum aggregatæ.

Infidelitas enim ſupernaturales tantummodò & metaphyſicas Virtutis ſtipes aufert, & abigit. Hæc verò hierarchica Phantaſmata & Molimina non ſolùm Odorem diſſipârunt & præſentanea Bonitatis ſolamina è Venantium conſpectu propulerunt; quinetiam, putà nullum fore Cras, Vitium Virtuti anteferendum perſuaſerunt; miſerandoſque Mortales fauſtis Avibus profecturos, uſque quò in Maleficiis tenaciter & pedetentim increverint.

Taliter ſonuere non pauci Doctores, ineventilatæ famoſæque Orthodoxiæ; nuperus ſpeciatim Præſul, FRANCISCUS ATTERBURIUS, ſermonicans in hoc Comma. [*Si in hac ſolùm vitâ ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium Hominum ſumus.*] Quâ in Conciunculâ, Fides

ex æquô & Vitioſitas eôdem Curru vehuntur, junctiſque Umbonibus magnificè triumphant.

Atqui hæc Documenta-Clericalia, de primitivâ Vitii excellentiâ, de involutæ Fidei energiâ, de Commutationum & Propitiationum honoribus; non Contenta, turpiter diripuiſſe à mancipatis ſuis Aſſeclis nativas Integritatis pulchritudines & delicias, dulceque Virtutis non carum aurô contra Pectus crudeliter confodiſſe; excitaverunt ulteriùs & propagârunt miri generis monſtroſam terribilemque Paſſionem, quam illubentes Odii-Religioſi titulô appellabimus; Rem proculdubiò medullitùs radicatam, immobilem, & immortalem.

Communes uſitatæque Paſſiones, aliæ aliæ, exurgunt invicèm & ſubſidunt, obeunt & reviviſcunt. Aſt pium nihilominùs devotumque Odium indiès convaleſcit, Roburque analogicè acquirit, proinde ac Sanctiores gradatim devenimus. Quoniam nimirùm pro ipsô Deô odi-

odimus, pro noſtris Animabus odimus, & prætereà pro Animulis iſtulorum odimus, qui iniquâ ſorte à Nobis diſſentiunt.

Etiamnum pote eſt, in tali tantâque Causâ, nimis vel equidem ſat odiſſe? Minimè gentium! Quò penitiùs quò utrinſeciùs Odimus, Meliores iccircò & Probiores ſumus & erimus. Quò magis noxii quò magis internecini, perſonis fortuniſque horum Apoſtatarum & Hæreticorum, graſſamur; eò clariùs exhibemus Orthodoxiæ noſtræ Cacumen, ingentemque Miſericordiam noſtram, pro ſummô Iſtorum & perenni Bonô.

Hic eſt Zelus-Religioſus, audivitque jamdiu Theologia. Sed, Mementote! Theologia catholiciſſima, illimiſſima, optima, auſim doctiſſima, eſt HUMANITAS. Hæc hactenùs.

VALETE.